



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

12. Pene Exitiabilem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

Cuspinianus, & Vlricus Huttenus : ille in Aug. *Non enim bi-ceps est aquila, ut imperitum vulgus credit : sed duæ simul ; quarum altera alteram expansis alis obtegit, tertiam signifer legionis tertie abstulit, paludè que demersit, ne in hostium manus veniret, alioqui tres haberemus aquilas in insignibus Imperij ; hic verò & clariùs in carmine de Germania non degeneri :*

Vindice ut Arminio, celeris prope rura Visurgis,

Romanas acies, miro Germania motu,

Quinctiliùmque ducem conciderit, unde birostræ

Contigerint aquilæ, traducti insignia regni.

Excussùmque jugum, 2000 tantum hæc tempora nossent

12. PENE EXITIABILEM. Sueton. in Aug. c. 23. *Graves ignominias cladèsq; duas omnino, nec alibi quàm in Germaniâ, accepit, Lollianam & Varianam : sed Lollianam majoris infamiae, quàm detrimenti ; Varianam penè exitiabilem, tribus legionibus, cum duce legatîsq; & auxilijs omnibus, cæsis. Magna igitur hæc clades fuit, quæ à Suetonio pene exitiabilis, à Vellejo atrocissima calamitas vocatur, fines imperij imminuit, ingentem mærorem metùmque Augustò, & urbi attulit. Vellejus. l. c. *Ordinem atrocissimæ calamitatis, quæ nulla post Crassi in Parthis damnum, in externis gentibus gravior Romanis fuit, justis voluminibus, (utinam cum 20. libris de bellis Germanicis à Plin. scriptis superessent) ut alijs, ita nos conabimur exponere. Nunc summa deflenda est. Exercitus omnium fortissimus, disciplinâ, manu, experienciâque bellorum inter Romanos milites princeps, ad internecionem trucidatus est. Flor. l. 4. c. 12. Nihil illâ cæde per paludes, perque silvas cruentius : nihil insultatione barbarorum intolerabilius, præcipuè tamen in causarum patronos. Alijs oculos, alijs manus amputabant : unius os scètum, recisâ priùs linguâ, quam in manu tenens barbarus, tandem, inquit, vi-**

pera

pera sibilare desiste. Sueton. l. c. Hac nunciata excubias per Vr-
 bem indixit, nequis tumultus existeret: & praesidibus provincia-
 rum propagavit imperium, ut & à peritis & assuetis socij contine-
 rentur. Vocavit & magnos ludos Iovi Opt. Max. si rempublicam in
 meliorem statum vertisset. quod factum Cimbrico Marsicòque bel-
 lo erat. Adeò namque consternatum ferunt, ut per continuos menses
 barbà capilloque summisso, caput interdum foribus illideret, voci-
 ferans: Quinctili Vare, legiones redde: diemque cladis quot annis
 mestum habuerit ac lugubrem. Mutuebat enim, ne unà cum
 Gallis Italiam ac Romam Germani peterent. Dio. lib. cap.
 Augustus Variànà clade audità, vestem, ut quidam memorant,
 laceravit, inque magno luctu fuit, propter amissum exercitum, me-
 tumque, quia à Germanis, & Gallis impendere videbatur, maxime
 quòd eas gentes jam ipsam Italiam ac Romam petituras verebatur;
 ac neque Urbana juvenus magni momenti supererat, & sociorum
 auxilia, quae alicujus essent precij, afflicta erant. Nihilominus ta-
 men ad omnia se, quantum praesens rerum conditio ferebat, compa-
 ravit. Et quoniam ij, qui militari essent etate, dare nomina nole-
 bant, ex ijs qui nondum annum trigesimum attigissent, quintum,
 ex natu majoribus decimum quemque, ut fors in quemvis incidis-
 set, bonis privatum ignominia notavit: postremò cum mul-
 ti ne sic quidem obedirent, quosdam morte mulctavit &c. Et quia
 complures Galli ac Germani Romae obversabantur, partim peregri-
 nantes, partim inter stipatores recipiendi, veritus, ne quid hi novi
 molirentur, in insulas armatos amandavit, inermes urbe exire
 jussit. Hæc tum ab Augusto acta: ea quae decreta fuerant, & inter
 hæc triumphus Tiberij de Pannonijs, Ludique omissi. Sueton.
 in Tib. c. 17. Nam sub id ferè tempus Quinctilius Varus cum
 tribus legionibus in Germanià perijt: nemine dubitante, quin
 victores Germani juncturi se Pannonijs fuerint, nisi debellatum
 prius

prius Illyricum esset. Quas ob res triumphus ei decretus est, multi-
que & magni honores triumphum ipse distulit, mesta civitate cla-
de Variana. Et si hæc clades exitium imperio non attulerit, in-
gens tamen damnum ex eâ consecutum: nam ut Flor. l. c.
Hac clade factum, ut imperium, quod in litore Oceani non steterat,
in ripâ Rheni fluminis staret.

13. CÆSARE AVGVSTO. Paucis ante obitum
ejus annis, cum bellum Pannonicum confectum esset, & plu-
res fulsissent cometæ Tac. 1. An. Bellum eâ tempestate, quâ vi-
vere desijt Augustus, nullum nisi adversus Germanos supere-
rat: abolenda magis infamia ob amissam cum *Quinctilio Varo*
exercitum, quàm cupiditate proferendi imperij. Vellejus. l. 2.
Tantum quod ultimam imposuerat Pannonico ac Dalmatico bello
Cesar manum, cum intra quinque consummati operis dies funeste
ex Germaniâ epistola cæsi Vari, trucidatarumque legionum trium,
totidemque alarum & sex cohortium. Dio. l. c. celum sæpius ar-
dere apparuerat, multi simul cometæ effulserant Manilius l. 1.

*Cum fera ductorem rapuit Germania Varum,
Infecitque trium legionum sanguine campos,
Arserunt toto passim minitanti mundo
Lumina.*

De tempore verò acceptæ cladis variant authores:
Lindebrochius, in hist. Armin. & Helmvicus, in teatro, im-
putant ei annum à nato Christo 12. Imperij Augusti 52. &
conditæ Urb. 762. sub P. Cornelio Dolabellâ, & C. Junio
consulibus: quibus de anno Christi Baronius, & plures con-
sentiunt; et si Broverus, Horriion & Calvisius 9. & alij 10. po-
nant. similiterque, juxta Pighium tom. 3. an. lib. 18. ac Sigo-
nium. comment. in Fastos annum urbis cond. vel 761. vel
763. consulibus Sulpitio Camerino & Poppæo Sabino, ut Bro-
vero & Stangevolio placet. Quod spectat ad tempus anni,
longius